

tem vel utilitatem, facile varijsq; modis expirantem, benevolentia se afficiunt mutua. 8. Eth. Nic. c. 3.

L.

Amicitia autem honesta sola propriè ac per se Amicitia nomen sibi vindicat, cum ad bonum per se & simpliciter tale destinata & directa sit; Boni etiam viri per se & simpliciter, id est ex virtute tales, non propter aliud quid, sed propter seipsum mutuo se prosequantur amore 8. Eth. Nic. c. 3.

L I.

Estq; proinde nomen Amicitia eiusmodi, quod haudquaquam pari jure omnibus speciebus suis potest attribui, sed quod *κατὰ πρότερον καὶ ὑστερον* de iisdem enunciatur: primariò siquidem soli honestæ Amicitia; secundariò verò etiam jucundæ & utili competit.

L II.

2. Amicitia jucunditatis & utilitatis causa contracta, dissoluta sunt facilimæ, quemadmodum jucunda quoq; & utilia facile dissolvuntur & intercidunt. 8. Eth. Nic. c. 3.

L III.

Honestæ verò Amicitia tres ob causas permanens est & stabilis: 1. Quia virtus quæ bonum stabile est, illam non solum efficit, sed etiam factam rectamq; conservat. 2. Quia honesti amici per se sibi invicem bene cupiunt, non per accidens. 3. Quia honesta Amicitia etiam jucunditatem & utilitatem, non quidem apparentem illam, sed veram atq; solidam, sibi adjunctam habet perpetuò. 8. Eth. Nic. c. 3.

3. Subje-

Amicitia
genus est
ὁμῶνυμον
non συ-
νῶνυμον

Cur ho-
nesta Ami-
cicia
sit stabi-
lis.